

## EX COD. THUAN. ALTERO.

Lin. 8, pecuniis. Lin. 13, 117. Lin. 14, 15, Apostoli xiv. cal. Aug. et cess. epise. d. 7. q. e. i. p. e. q. depositus sub die 19 mensis Julii.

## V. L. HOLSTEN. ET SCHELESTR.

Hic constituit, ut omni die dominico, vel natalitiis martyrum hymnus diceretur angelicus, id est *Gloria in excelsis Deo*. Hic fecit cœmeterium Jordanorum in inelius propter corpus sancti Alexandri. Hic omni anno per Africam, vel Sardiniam ad episcopos, qui in exilio erant retrusi, pecuniam, et vestes ministrabat. Hic captivos per Liguriam, et per Mediolanum, et per diversas provincias pecunia redemit, et dona multiplicavit, et dimisit. Hic fecit ordinationes quatuor in urbe Roma per mensem Decembrem et Februarium, presbyteros 92, diaconos 16, episcopos per diversa loca 107, qui etiam sepultus est in basilica beati Petri apostoli, et cessavit episcopatus dies 7, qui etiam in pace confessor quievit.

## NOTÆ MARGINALES.

\* Ms. Codd., 22. — \* Flor., Episcopos 127. — \* Addit Flor. xiv. kal. Augusti.

## V. L. PENLE EX COD. CAVENSI.

Lin. 12 et 13, episcopos per diversa loca cxvii.

FRAGMENTUM (a) ALTERIUS VITÆ  
EJUSDEM PONTIFICIS A SCHISMATICO QUODAM  
CŒVO DESCRIPTA.

Symmachus sedit annos quindecim, menses septem, dies viginti et septem: cum hoc autem fuerat Laurentius Romanæ Ecclesiæ presbyter ordinatus episcopus; tantaque clerum ac populum Romanum discordia feralis invaserat, ut nec divina consideratio, nec metus regius partes a propria collisione colliberet. Tunc coguntur utrique, Symmachus scilicet et Laurentius, regium subituri iudicium, petere comitatum. Ibi Symmachus multis pecuniis obtinet: Laurentius ad gubernandam Ecclesiam Nucerinam, Campaniæ civitatem, plurimis coactus iniis promissionibusque dirigitur. Post aliquot autem annos pro multis criminibus apud regem Symmachus accusatur, quem rex sub occasione paschali, quod non cum universitate celebraverat, ad comitatum convo-  
rationem.... festivitatis dissonantia redditurum; fecitque apud Ariminum resedere; cumque ibidem cum suis clericis aliquantis perimoratur, post meridianis horis super litus maris ambulans, vidit mulieres inde transire, cum quibus accusabatur in scelere, quæ comitatum petebant, regia jussione. Dissimulans ergo se scire, quod viderat, nocte media, dormientibus cunctis, cum uno tantum conscio fugiens, regreditur Romam, seque intra beati Petri apostoli septa concludit. Tunc presbyteri et diaconi, nec non reliqui clericorum, quos secum deduxerat, adeunt regem, et sine sua conscientia Symmachum fugisse testantur, per quos rex tam ad senatum, quam ad clerum præcepta super ejus quodammodo damnatione transmittit. Accusatur etiam ab universo clero Romano, quod contra decretum a suis decessoribus observatum ecclesiastica dilapidasset

A prædia, et per hoc anathematis se vinculis irretisset:

pro diebus autem paschalibus ab omnibus pene vir venerabilis Petrus Altinatis episcopus a rege visitator Ecclesiæ Romanæ depositur, et post sanctam festivitatem, synodus in urbem Romam pro voluntate senatus et cleri, jubente rege, de ejus excessibus iudicaturum convenit. Atque id agit a nonnullis episcopis et senatoribus ne..... i..... m Symmachus..... audientia subderetur. Hoc palam pro ejus defensione clamantibus, quod a nullo possit Romanus pontifex, etiam si talis sit, qualis accusatur, audiri; sed electores antistites, tam pro religionis intuitu, quam pro regia jussione cenabant tantæ rei negotium pene ubique vulgatum sine examine nullatenus deserendum. Cumque synodus sub hac dissonantia

B plus inter partes ministraret fomenta discordiæ; tandem consuit ut libellus, quem offerebant accusatores Symmachi, susceptus inter gesta solemniter panderetur. Quo facto mox per episcopos idem Symmachus, ut occurrat ad iudicium, convenitur. Sed cum per clericos, qui ei observabant, fuisset ejus negata præsentia; iterum et tertio secundum regulas, ut ad synodalem conveniat audientiam per antistites admonetur; nullumque dignatus est dare responsum. Tunc aliquanti episcopi videntes nihil se in causa proficere, clerum qui discesserat a consortio Symmachi, semel et iterum commonent, ut ad eum prætermissis revertatur examine. Qui se nequaquam hoc facere posse respondit, prius quam tantis criminibus impetitus discussione regulari vel absolvetur, si innocens fuerit, vel, si reus existerit, a sacerdotio deponatur. Sed moras episcopi n....  
...ntis cum viderent magis ac magis studia divisionis augeri, quæ sibi utilia visa sunt pro Symmachi persona constituunt; et sic urbem in summa confusione derelinquunt. Clerus ergo, et senatus electior, qui consortium vitaverat Symmachi, petitionem regi pro persona Laurentii dirigit, qui eo tempore Ravennæ morabatur, Symmachi violentiam, persecutionemque declinans, ut ipse Romanæ præ sederet Ecclesiæ, ubi dudum fuerat summus pontifex ordinatus. Quia hoc et canonibus esset affixum, ut unusquisque illic permaneat, ubi primitus est consecratus antistes; vel si quibusdam commentis exinde remotus fuerit, eum modis omnibus esse revocandum. Sic Laurentius ad urbem veniens per annos circiter quatuor Romanam tenuit Ecclesiam, per quæ tempora, quæ bella civilia gesta sint, vel quanta homicidia perpetrata, non est præsentis relatione pandendum. Dumque partes inutua se dissensione collidunt, ac pro suis studiis regale præsidium sæpe deposcunt, ad ultimum petitionem Symmachus regi per Dioscorum Alexandrinum diaconum destinavit, asserens sibi magnum præjudicium fieri, et maxime de titulis ecclesiarum quas intra urbem Laurentius obtinebat. Ad hanc insinuationem regis animus delinitus Patircio F.... præcepta dirigit, admonens ut

(a) Ex cod. Veron. vulgavit Cl. Joseph. Blanchin. in lib. inscrip. Enarrat. Pseudo-Athanas.

omnes Ecclesiæ tituli Symmacho reformentur et A de ordinibus ecclesiasticis, quos acceptis palam pecuniis distrabebat: pro quibus rebus usque ad finem vitæ ejus Ecclesia Romana in schismate perduravit. Illic beati Martini ecclesiam juxta sanctum Silvestrem palatini illustris viri pecuniis fabricans et exornans, eo ipso instante dedicavit; nonnulla etiam cœmeteria, et maxime sancti Pancratii renovans, plura illic quoque nova construxit.

de ordinibus ecclesiasticis, quos acceptis palam pecuniis distrabebat: pro quibus rebus usque ad finem vitæ ejus Ecclesia Romana in schismate perduravit. Illic beati Martini ecclesiam juxta sanctum Silvestrem palatini illustris viri pecuniis fabricans et exornans, eo ipso instante dedicavit; nonnulla etiam cœmeteria, et maxime sancti Pancratii renovans, plura illic quoque nova construxit.

## SYMMACHI PAPÆ EPISTOLÆ ET DECRETA.

### EPISTOLA PRIMA (OLIM II).

AD ÆONIUM ARELATENSEM EPISCOPUM.

*Ut ipse et episcopus Viennensis Romam certos homines mittant, qui de ipsorum controversiis instructi, sedi apostolicæ alleganda suggerant.*

Dilectissimo fratri Æonio Symmachus.

Movet equidem nos, quod dilectionis tuæ relatio declaravit: namque (*at.*, nempe) contra regulas ecclesiastici constituti, et adversus reverendorum canonum tractatam, per subreptionem Viennensis Ecclesiæ pontificem de apostolica, præsentem prædecessore nostro, sede culpabiliter aliqua meruisse; cum, si sit vera conquestio, effectum non possint impetrata frivole possidere: nec a nobis aliquid novi poterit ordinari, nisi quæ a patribus prædecessoribusque nostris hac causa statuta claruerint. Tamen ne facile alterius partis absentia præjudicabiliter videremur aliqua decrevisse, id magis duximus ordinandum, ut fraternitas tua competenti tempore de ecclesiastico ordine instructum non moretur de omni causa dirigere, qui apud nos veritatem causæ competenter alleget; quatenus pertractatis omnibus, quod statuendum est, sub deliberationis robore sanciat. Illud etiam dilectionem tuam facere debere præcipimus, ut fratrem et coepiscopum nostrum Viennensis urbis antistitem misso nuntio et scriptura commoneat, ut constitutis diebus is quoque hominem proprium dirigat, qui partis ejus allegationes competenter insinnet, ut depromptis ab utraque suggestionibus, securius quæ in perpetuum servanda sint disponantur. Quia semper suspectus judicat, qui sub unius quod videtur eligit deploratione sancire. Dominus te incolumem custodiat, frater carissime. Data sub die IIII calendas Novembris, post consulatum Paulini viri clarissimi (Anno Chr. 499).

### EPISTOLA II (OLIM III).

AD LIBERIUM PATRICIUM.

*De electo episcopo Aquileiensi, cujus præbet electioni assensum.*

Symmachus episcopus Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ, Liberio patricio salutem.

Cum pro veneranda (est Ennodii prima lib. v) religione conscientia verba dirigitis in Aquileiensi

B electione pontificis, et divinis initiata lingua cultibus militat consecranda, in ignoti nos diligentia sermonum vincula tenuerunt: quia nihil superat judicii, quoties aliquid probatus extulerit. Quid enim sententiæ sequacium derelinquat, quando justitiæ obsequitur, cujus in examen definitio non vocatur? Agitis bono conscientia, quod vestro vitæ negaretur imperio. Exhibuit inter arbitros Marcellini venerabilis collegam Maximus hominum humilitate sublimior, et ne potestati favor per obliquos adscriberetur interpretes, quod de proprio descripsit ingenio, laudati junxit ad pretium. Egistis mediocrem, ne præexcelesset suspecta prædicatio; clarissimorum testimonia, ut vires accipiant culmina, castigantur. Felix sacerdotium, cui facem prætulit plena mens luminis. Beata conversatio, quæ idecirco in discussionem deducta est, ut tanto viro adstipulante superaret, quæ non didicisset saporem victoria nisi subjacuisset incertis. Semper innocentibus gloriam adversa pepererunt: providet defensores fortissimos mediocris impugnatione. Sed quid epistolæ terminos loquacitate produxi, coactas lege paginas in humana concinnatione transgressus? Jungo et ego amplissimis patribus (*at.* amplissime partibus) vestris, pro modulo exiguitatis propriæ, vobis cælo obsequente consensum: et quod mirabile inter homines habetur, consideratione vestri attrahor ad amorem. Inspirata mihi per alterum placet affectio, dum manet caritas imis inserta visceribus. Peregrinante personæ, comitem se tamen cælestis gratia desiderii jungat, et dum cupitis datur effectus, aut veniat bonum pontificatus, aut faciat. Data XVIII calendarum Novembrium die, indictione octava (Anno Chr. 499).

### EPISTOLA III (OLIM I).

SYMMACHI PAPÆ AD ÆONIUM ARELATENSEM EPISCOPUM.

*Rescissis iis quæ Anastasius decessor in Viennensi controversia innovarat, antiqua sedis apostolicæ decreta observari jubet.*

Dilectissimo fratri Æonio Symmachus.

Dilectionis tuæ litteras, mandataque filio nostro Crescentio presbytero internuntio deferente suscepimus, quibus constat inter Arelatensem et Vien-